

ILLVSTRISSI

MO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ALBERTO MARCHIONI BRANDENBURGENSI, Duci Prussiae, Stetini, & Pomeraniae &c. Burggrauiio Noribergensi, Domino suo clementissimo, Eras- mus Rheinholt Salueldensis, Mathema- tum professor, S. D.



VANQVAM HAEC AD-
miranda sapientia, quam doctrina de nu-
meris, proportionibus, figuris, mensuris,
& motibus caelestibus continet, nulla hu-
mana uoce satis laudari potest, tamen in
alijs libris, qui ad usum discipulorum initia
mathematicum editi sunt, prolixius de dig-
nitate & utilitate harum artium dixi, ut iuniorum studia ut-
cunq; accenderentur, seu certe, ut praemuniantur iuniores
contra Cyclopicos sermones eorum, qui has artes stolidissi-
me contemnunt, nec uident eas esse & sapientiae diuinae radi-
os transfusos in hominum mentes, & illustria ac firma testi-
monia de Deo, & de prouidentia, & necessaria uitae adminicu-
la. Necesse est enim, & propter gloriam Dei, & propter utili-
tates ingentes communis uitaе, extare de his tantis bonis, ue-
ras commonefactiones, & constantissime reprehendi furores
eorum, qui cum hanc doctrinam asperrantur, simul Deum
contumelia adficiunt, & nocent communi hominum uitaе. Sed
quia hoc opus non editur tyronibus, hic omissa illa comme-
moratione, tantum gratias agam, primum Deo autori & con-
seruatori harum artium, deinde & tibi Princeps Alberte, qui
& hanc doctrinam propagari curas, & nostros labores tua
liberalitate adiuuas. Itaq; ut honorem debitum Deo tribuam,
adfirmo id quod uerissimum est, totam hanc sapientiam, do-
ctrinam